Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Iohannis I

et scitis quia omis homicida non habet vitam eternam in se manentem. In hoc cognouimus caritatem dei quia ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus animas pro fratribus nostris ponere. Qui habuerit substantiam mundi et uiderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo quomodo caritas dei maneat in eo filioli mei non diligamus uerbo neque lingua sed opere et ueritate. In hoc cognoscimus quia ex ueritate sumus et in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quia si reprehenderit nos cor nostrum, maior est deus corde nostro et nouit omia. Karissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiducia habemus ad deum et quicquid petimus accipiemus ab eo quia mandata eius custodimus et ea quae sunt placita coram eo facimus, et hoc est mandatum eius ut credamus in nomine filii eius iesu xpi et diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis. Et qui seruat mandatum eius in illo manet et ipse in eo. Et in hoc scimus quia manet in nobis de spiritu quem dedit nobis. Qui est. IIII.

Karissimi Nolite omi spiritui credere sed probate spiritus si ex deo sint quia multi pseudoprophete exierunt in mundum. In hoc cognoscitis spiritum dei. Omis spiritus qui confitetur xpm iesum in carne uenisse ex deo est. Et omis spiritus qui soluit iesum ex deo non est. Et hic est antixpi de quo audistis quia uenit et nunc iam in mundo est. Vos ex deo estis filioli et uicistis eum, quia maior est qui in uobis est quam qui in mundo est. Ipsi de mundo sunt, et idcirco de mundo loquuntur et mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum audit nos. Qui non est ex deo non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum ueritatis et spiritum erroris karissimi diligamus inuicem quia caritas ex deo est et omis qui diligit fratrem ex deo natus est et gnosit deum. Qui non diligit non nouit deum, quia deus caritas est. In hoc apparuit caritas dei in nobis quia filium suum unigenitum misit deus in mundum ut uiuamus per eum. In hoc est caritas dei non quasi nos dilexerimus deum sed quia ipse prior dilexit nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Karissimi si deus dilexit nos et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus inuicem deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus quia in eo manemus et ipse in nobis quia de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus et testificamur quia pater misit filium saluatorem mundi. Quicumque confessus fuerit quia hic est filius dei deus in eo manet et ipse in deo. Et nos cognouimus et credimus caritati quam habet deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas dei nobiscum ut fiduciam habemus

in die iudicii